

CLAVDII PTOLE-

M A E I A L E X A N D R I N I , G E O G R A P H I C A E
enarrationis, Liber primus.

In quo differat Geographia à Chorographia.

C A P V T I.



EOGRAPHIA imitatio est picturae totius partis terrae cognitae, cum his, quae sibi quasi uniuersaliter sunt annexa. Differt autem à Chorographia, nam illa per partes loca refecat, seorsumque singula & unum quodque iuxta se constituit, ac ferme omnia etiam minutissima illa quae deprehendere possumus describit, ueluti portus, uicos, populos, necnon à primoribus fluminibus, diuertigia, & his similia. Geographiae autem proprium est, unam & continuam terram cognitam ostendere, quemadmodum se habeat natura & positione, eaque solum in omnino deprehensibilioribus uersatur descriptionibus, ueluti sinuum, & ciuitatum magnarum, gentium quoque, & fluuioꝝ, necnon circa ea, quae secundum speciem unius cuiusque sunt insigniora. Porro finis Chorographicus cōnexionem particulari continet, ueluti si quis autem tantum aut oculum imitetur. Geographicus autem cōtemplatione totius, proportionaliter his, qui integrum caput describunt. Quis enim omnibus quae superponuntur imaginibus, praecipue partes necessario atque in primis adaptentur, ac etiam picturas excepturae sunt, distantis, sufficienti remotione oculorum cōmensuratae esse debeant, siue perfectum sit quod pingitur, siue particulare, quocumque sensibilibus percipi ualeant: rationabiliter simul & utiliter sequutum est, ut Chorographiae minutissimae proprietates, Geographiae autem regiones ipsae cum his quae uniuersaliter eis adiacent, attribuatur. Quoniam & primariae orbis partes, regionum nempe situs, tam magnitudine quam mensuratione re-

cte sunt coordinate. At inter has ipsas ut sese habeant, quamplurimae sunt differentiae. Versatur autem Chorographia ut plurimum circa quale magis disponendum, quam circa quantum: siquidem ubique qualitatis curam gerit, at non ita cōmensurationis positionum. Geographia autem circa quantum magis, quam circa quale: quandoquidem in omnibus diligentem proportionis distantiarum rationem habet: similitudinibus uero usque ad maximarum partium circūscriptiōes, & iuxta figuram ipsam tantum. Vnde illa quidem locorum eget pictura, nemoque eam recte exercebit, nisi uir pingendi gnarus: haec uero nequaquam, nam per lineas etiam tenues ac denotationes tantum, positiones & uniuersi figuratiōes ostendere potest. Quapropter illa quidem haudquaquam mathematico indiget instituto, hic uero pars ea praecipue requiritur. Cōsiderare enim oportet, & totius terrae figuram ac magnitudinem, necnon situm eius ad caelum, quod cognita ipsius pars, quanta sit, & qualis, recenseri possit, in super & loca eius singula, sub quibus caelestis sphaera sita sint parallelis, ex quibus & noctium & dierum magnitudines, & quae nam stellae fixae uerticales fiat, & quae super terram, quaeque sub terra ferantur semper: ac omnia quae de habitationis ratione connectimus, percipi possunt. Quae cuncta sublimissime ac pulcherrime sunt speculationis, quum humanis deprehensionibus, per Mathematicas rationes ostendi possit, quo pacto caelum ipsum natura se habeat, quoniam nobis magna ex parte conspicuum esse potest. Terra autem per imaginem, quia licet certa sit & maxima, non ta-

AA men